NICETAS REMESIANENSIS. ORIGENES
4. Viertel 12. Jh. Seite 9v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



sequentibus. Et cum notum factum fuerit illi peccatum quod peccauit ad du
cet munus suum ante dominum. Debet enim munus offer[illegible]re anima cum ei innotu
erit quia deus non querit carnale sacrificium quia sacrificium deo est spiritus contribulatus.
Notum fit ergo ei peccatum suum cum didicerit a domino dicente. misericordiam uolo quam
sacrificium. et cum agnouerit immolare sacrificium laudis in ecclesia. et redde
re altissimo uota sua per christum dominum nostrum. cui est gloria et laus in secula seculorum amen.

Omelia Origenis. De eo quod scriptum est. si autem anima peccauerit. et audierit
uocem iuramenti. et hic testis sit. aut uiderit aut conscius fuerit si non indicauerit. et
ipsa accipiet peccatum eius. et anima quecumque tetigerit rem immundam. aut mor
ticinam. aut afera captam. et c e t e r a.

De sacrificiis que offeruntur ab his qui per
ignorantiam uel qui non uoluntate peccauerint sermo est. Unde et
in superioribus cum de pontificis sacrificio diceremus. obseruauimus non
esse scriptum de eo quia ignorauerit. Sed si quis bene meminit eorum
que dicta sunt. potest nobis dicere. quia sacrificium quod pontifice pro peccato diximus
obtulisse. figuram christi tenere posuimus. Et conueniens non uidebitur. ut christus qui
peccatum nescit. pro peccato dicatur obtulisse sacrificium. licet per mysterium res
agatur. Et idem ipse pontifex. idem ponatur hostia. Vide ergo si et adhuc pos
sumus hoc modo occurrere. quia christus peccatum quidem non fecit. peccatum tamen pro nobis
factus est. Dum qui erat forma dei. forma serui esse dignatur. Dum qui immortalis
est moritur. et impassibilis patitur. et inuisibilis uidetur. Et quia nobis omnibus.
uel mors. uel reliqua omnis fragilitas in carne. ex peccati conditione super
ducta est. et ipse qui in similitudinem hominum factus est. et habitu repertus
ut homo est. Sine dubio pro peccato quod ex nobis susceperat. quia peccata nostra por
tauit. uitulum immaculatum. hoc est carnem incontaminatam obtulit hostiam deo.
Sed quid facimus de eo quod in sequentibus iungitur. ubi ait. dicit. Si quidem pontifex qui
unctus est peccauerit. ibi additur. ut populum faceret peccare. offerat pro
peccato suo. Quomodo ergo conueniet. quia per carnem suam quam suscepit ex nobis
christus ipse peccatum factus. peccasse fecerit populum. ausculta et de hoc.
si forte cum aliqua consequentia possumus respondere. Passio christi creden
tibus quidem uitam. mortem uero non credentibus confert. Quamuis ait. salus gentibus
sit per crucem eius et iustificatio. iudeis tamen interitus est. et condempna
tio. Sic enim et scriptum est in euangeliis. Ecce hic natus est ad ruinam. et